a lib.3.c.6.
b Plin l.8.c. 35.l.30 ca.6
Rhodig.l.4 cap.11.
c lib 6.c.27.

utroq; pede: Irenæus *a*, *in ambabus ſuffraginibus*,(qui ſunt A ſinus curvaturarum *b*) ἐπ' ἀμφοτέραις: ἰγνύαις: (legit for. Lucifer ἐπ' ὠλίας) alii, *in duobus poplitibus*: Pagninus: *in duas cogitationes*: Hebraicè הסעפים *haſſehhipim*, *rames*. Vulgo divortia viarum ramos appellant: Plinius *c* montis ramum nominavit ſeu montem Cambalidum Caucaſi ramum. Sic τρίβους, & ſemitas intelligimus hic tritas vias à latiore divertentes, aut etiam ad privatum cujuſque domicilium ducentes: quod inſinuatur pronomine *meas*.

Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt.) Hieron. *via doli*. Sed apud Trevetum, *via laboris*: licet meminerit alterius lectionis, exponatque nomen Hebræum duplex, עצב דרך *derech hhotſeu*, *viam inobedientiæ*, & hanc eſſe viam idololatriæ, quæ, inquit valde oneroſa eſt in ſervitiis, & & doloſa in promiſſis, & iniqua in licentia criminum & inobediens contra Dei præceptum. Quod autem dicitur, *Vide, ſi eſt*, interpretatur fiduciam conſcientiæ, negantis hujuſmodi viam eſſe in ſe. Poſſet ea ratione verti via idoli, quod cultoribus nonniſi dolorem affert: præterea quoniam elaboratur. Sed falſum eſt ita tranſtuliſſe Hieron.

d Pint. dialogo de veris & falſis bonis c.6. Didac. Verga Dominica 11 poſt Pentec. Octav. Spathar. feria 4 poſt Domin. 1 Quadrag. concione 4.
e Eph.4.30.
f Eſa.63.10

ut nonnullos *d* aſſerere deprehendi. Reddunt alii, *viam* B *afflictionis*, *contriſtationis*, *conturbationis*; ſeu *affligentem*, *contriſtantem*: vel *viam irritationis & rebellionis*: ſeu *ſtudium irritandi Deum*: vel *viam exacerbationis & amaritudinis*, cùm nempe quis Deum ipſum *contriſtat*, *& ſpiritum ejus e*, ut explicat Eugubinus, *& ad iracundiam provocat*, *& affligit Spiritum S. ejus f*: vel viam deriſionis, quam Cajetanus docet eſſe fictionem, & ſimulationem, qua quid verbo, aut facto monſtratur, aliud corde retinetur; quum quis docet, & non facit; punit malos, & benefacit juſtis, tamen intus nec juſtos magni pendit, nec injuſtos parvi pendit. Non ſic ad rem facere videtur mentio idoli, à cujus cultu aberat longiſſime David: nec ulla erat cauſſa, cur hujus rei teſtem vocaret Deum: Iniquitatem rectè Interpres expoſuit, quæ Deum, contriſtat, conturbat, irritat: & conſcientiam propriam cruciat, afficitq; triſtitia. Nec diſplicet expoſitio R. Abraham, & R. Kimhi, ut hac interrogatione ſignificet Propheta, non eſſe in ſe viam doloris atque triſtitiæ: ut ſcilicet dolore afficiatur ob mala, quæ eveniant ſibi, ſed ex amore illa ſuſcipiat.

g Pſ.105.36 38. Pſ.15.4.
h Pſ.146 3.

De eodem, aut ſimili vocabulo Hebræo egimus alibi *g*, C & occurret adhuc poſtea *h*. Supereſt notandum, quod via hic dicitur eſſe in aliquo, quum potius dici debuiſſe videatur, aliquem eſſe in via. Sumitur *via* pro certa quadam agendi ratione.

Et deduc me in via æterna.) Rom, Pſalt. apud Fabrum, *in viam æternam*. Nam quod recitatur in Vatic. Baſilica, habet ſicut editio noſtra. Chaldaicè, *in via rectorum mundi*. Alii, *per viam mundi*, ſive *ſæculi*. Tripliciter exponitur, ut Deus, deducat in via, & per viam, quæ ferat ad æternitatem; qualis eſt via veritatis, oppoſita viæ iniquitatis: ut deducat per viam & ſpatium, ac ſtadium integrum totius vitæ, donec perducat ad metam; nec umquam, & nulla in re à virtutis exorbitet via: quod Cajet. placet, innuitq; Felix: ut ſi forte via iniquitatis in ipſo ſit, deducat eum in via mortis, quam ingrediuntur mortales omnes, ac de medio potius tollat, quam ſic vivere ſinat. Addi poteſt

Expoſitio myſtica.
i Joan. 14.6.

expoſitio quarta myſtica Latinorum, de via, ut de Chriſto dicitur *i*, quemque ſequi, ac imitari oportet. Tertia, quæ R. Kimhi, multorumque recentiorum, ut Vatabli, Eugubini, Campenſ. Clarii, Genebr. aliorum, præterea D

k in Job 22 15.
l cap.22.15
m Joſ 23.14.
n 3 Reg.2.2.
o verſ 12.
p cap.12.5.
q cap.20.20.

Pinedæ *k* noſtri, confirmatur ex verbis Job *l*, *Numquid ſemitam ſæculorum cuſtodire cupis, quam calcarunt viri iniqui*: & quia mortis paraphr. eſt, *ingredi viam univerſæ terræ m*, & *univerſæ carnis n*. Vidimus quoque Pſ. 48. *o mortuorum domos in æternum ſepulchra* nominata, & in Eccleſiaſte *p* appellatur *domus æternitatis*: & eodem ſenſu Ezech. *q* vocat *populum ſempiternum*. Non video quid obſtet conjunctio inſerta iſti velut imprecationi, quod Titelmanus objecit. Nec tamen, quod nonnulli volunt, arbitror imprecari Davidē ſibi mortem impiorum; ſed, ut prius hinc abripiatur in aliam vitam, quam aut in viam iniquitatis ingrediatur, aut in ea, ſi forte ingreſſus fuerit, inhæreat. Præferenda prima communior ac ſimplicior, de via ferente ad æternitatem, de via virtutis, *via Domini r*, *via*

r Eſa 40.3.
ſ Mat. 7.14.
t Pſ. 1.6.
u Mat.7.14
x Sap.10.10.
y Gen.18.17
z Amos 3.7
a Joan.15.15

vitæ ſ, *via juſtorum t*, *via ſtricta ducente ad vitam u*, *via recta per quam Dominus deducit juſtum oſtendens illi regnum Dei x*. Summa communicatio inter Deum & juſtum; ut quemadmodum hic totus ab illo cognoſci & inſpici appetit, ſic ille huic arcana communicet, non *valens celare quæ geſturus eſt y*: *non faciens verbum, niſi revelet prophetis z*: *nota faciens amicis omnia, quæ audivit à Patre a*.

PSALMUS
CENTESIMUS TRIGESIMUS NONUS.

1. In finem Pſalmus David,

2. ERipe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

3. Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die conſtituebant prælia.

4. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labiis eorum.

5. Cuſtodi me Domine de manu peccatoris; & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos 6. abſconderunt ſuperbi laqueum mihi:

Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.

7. Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

8. Domine, Domine virtus ſalutis meæ: obumbraſti ſuper caput meum in die belli.

9. Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

10 Caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos.

11. Cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos: in miſeriis non ſubſiſtent.

12. Vir linguoſus non dirigetur in terra; virum injuſtum mala capient in interitu.

13. Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum:

14. Verumtamen juſti confitebuntur nomini tuo; & habitabunt recti cum vultu tuo.

Titulus, & Argumentum.

Verſ. 1.) In finem Pſalmus David.

Titulus.

PROPRII nihil habet titulus. Paraphraſtes autem tranſtulit, *ad laudandum per manum Davidis canticum*, vel *in laudem laudatoria per manum Davidis*. Nec refert quod Græcè quidam codices ultimo loco *Pſalmum* ponant, alii nomen *David*. Hebraicè *David* ultimum tenet locum. Hieronymus vertit: *victori Pſalmus David*: apud Fabrum, & Victor. *canticum*: apud Trevetum, *pro victoria*, &c.

Argumentum.
b verſ. 12.
c verſ. 4.

De argumento, omiſſa Bedæ opinione, quod ſit oratio Eccleſiæ contra Aſſyrios, non negaverim quod Theodoretus, Lyranus, Ayguanus, Trevetus, & recentiores multi aſſerunt Davidem precari adverſus perſecutores ſuos, Saulem ac miniſtros ejus, præcipuè Ziphæos, & Doeg Idumæum, quem etiam nominet *virum linguoſum b*, ut & alios, *acuentes linguas ſuas ſicut ſerpentis c*. Trevetus diſtinctè numerat Saulem Philiſthæos, Abſalonem. Sub eo typo per extenſionem, & juxta ſenſum propheticum, ut Ayguanus loquitur, ſive myſticum, ut Janſonius atque Genebrardus, concedo convenire hanc orationem corpori Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, & cuilibet juſto contra diabolum angeloſque ipſius: præterea contra homines, quibus ille utitur tamquam inſtrumentis, & ſatellitibus. Quominus autem ad litteram & per ſe de Davidis perſecutoribus Pſalmus iſte intelligatur, non obſtat ratio Hilarii, quod nihil in eo proprie dicatur de Davide & Saule; & quod tota die contra Davidem prælia Saul non conſtituit, immo nec ullū proprie, ſed fugientem ſit perſecutus dumtaxat. Nā conſtituere prælia tota die, eſt quavis ratione perſequi;

a Bellarm.

qui; & conſtat cum exercitu non ſemel progredi Saulem A conatum, ut comprehenderet Davidem; & Ziphæis, ac Doeg bene congruunt, quæ ante dixi. Tandem non ſequitur quod addunt alii *a*, ſi de ſuis perſecutoribus ageret David, expreſſurum, id fuiſſe in titulo. Nam nec adhuc liquet à Davide ipſos ſcriptos fuiſſe titulos; & dubitari nequit in aliis Pſalmis hoc idem argumentum tractaviſſe, in quibus tituli nihil exprimunt. Quod Eccleſia in officio Miſſæ Paraſceves canat hunc Pſalmum pro tractu, non probat proprie de ſolo Chriſto exponi debere, ut Rickelius argumentatur: licet idem ipſe ſeparatim quoque

Quo tempore frequentetur hic Pſalmus ab Eccleſia.
b ad Marcel.

declaret de Eccleſia, & de quolibet fideli. Recitatur item ad Veſperas Cœnæ Domini, & Paraſceves, & in officio de Paſſione multi verſiculi hinc decerpuntur. Connumerat eumdem Pſalmum Athanaſius *b* iis, qui colloquia cum Deo, preces, obſecrationeſque complectuntur, & uſurpandum proponit ei, qui conſtringatur ab inimicis, optetque liberari.

Verſ. 2.) Eripe me Domine ab homine malo, à viro ini- B quo eripe me.

Senſus loci

SAulem videtur David intelligere infenſiſſimum, & iniquiſſimum perſecutorem, à quo ſupplex oret liberari, tamquam in arctum anguſtumq; adductus locum.

Senſus myſticus.

Myſticè Chriſtus in ſua, & ſuorum perſona id flagitat, per hominem malum, & iniquum intelligens tum diabolum, qui vocatur inimicus homo, tum diaboli miniſtros alios & homines, & dæmones. Chryſoſtom. obſervat, cum Propheta in fine præcedentis Pſalmi ſignificaſſet ſe malos fugiſſe, eorumq; conſuetudinem, hìc Dei auxiliū petere, & quum quæ ſua erant, contuliſſet, dicens; *Viri ſanguinum declinate à me*, &c. hic rogare, ut liberetur ab eorum improbitate. Præterea multis verbis amplificat, quā ſit malus homo omni fera venenataq; bellua pejor, nocentiorque; & quod nihil abſolute cenſeri malum poſſit, niſi peccatum, nullum lædere peccator proprie poſſit, niſi ſeipſum; juſto nihil obeſſe alienas injurias, juſtum tamen debere malis hominibus inſultare, ac eorum diligenter conſuetudinem vitare. Quod Auguſt. adhuc demonſtrat C verum eſſe de illis, qui nocere minime videantur, externo nimirum nocumento & moleſtia: quoniam nocent, inquit, ſaltem vel exemplo viventes nobiſcum, & ad quod agunt invitantes, deniq; omnem improbum noxium eſſe, ſive ſit blandus, ſive ſit ferox, quemadmodum blanda in radice ſpina pungit in ſuperficie; talem quiſquis ſit reprehendendum, caſtigandum, urendum, & ſi non noceat primum opere, poſtea ſi quoq; nociturum, verbi gratia, quum quæ habet conſumſerit luxurioſe vivendo, rapturum aliena, quæ poſſit effundere.

Ratio cur dicatur diabolus homo malus.

Hilarius hunc hominē malum, & virum iniquum partim interpretatur diabolum quia omnes inſidiæ, quaſcumq; nobis ſpirituales nequitię prætendunt, maximè per homines operantur, & occaſiones vitiis noſtris alienæ naturæ perverſitas ſubminiſtrat: partim Judam traditorem, de quo hìc loquitur Chriſtus. Recte creditus Hieron. affirmat quod non in tantum poteſt nos decipere diabolus, quantum per organum hominis; ideo ab hoc deprecari Prophetam liberari.

Salubre Auguſtini monitum.
c lib.50.hom in 29.cap.3

Sed Auguſtini ſaluberrimum circa præſentis noſtri Pſalmi orationem alibi *c* monitum eſt. (Et quandocumq; dicis Deo, inquit, *libera me Domine ab homine malo*, ſcio quo gemitu D dicas. Quis enim in hoc ſęculo non patitur aliquem hominem malum: quando ergo dicis Deo hoc *libera me, Domine, ab homine malo*: ſicut totis præcordiis dicis, ſic intētis oculis te prius attende, *Libera me Domine ab homine malo*. Fac tibi reſpondiſſe Deum. A quo? Dicturus es à Gajo, à Lucio, à neſcio quo, quem pateris & reſpondet tibi; De te mihi nihil dicis. Si ab homine malo libero te, prius eſt liberādus à te ipſo. Pateris malum; noli teipſum pati malum. Subjicit deinde id quod Chryſoſt. dixi dixiſſe, (qui non ſi malus, nihil à malo pati mali poſſe;) quod proprio quodam tractatu idem oſtendit, neminem lædi, niſi à ſeipſo, ſed potius prodeſſe, ut profuerunt Stephano Judæi. Tum concludit (Ergo quando oras, ut liberęt te Deus ab homine malo, attende te, noli tibi parcere, tę à te liberet. Quo modo te à te liberat? Dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires pugnandi adverſus concupiſcentias tuas, inſpirando virtutem, donando menti tuæ cęleſtem delectationem, qua omnis terrena delectatio ſuperetur. Hæc quum tibi præſtat Deus, liberat te à te;

d de interiori domo c.31

& ſecurus expectas in hujus ſæculi malis tranſitoriis cum eis bonis venturum Dominum, quæ tranſire non poſſunt. Bernardus *d* videtur imitatus Auguſtinum, ſic alloquens Deum. (*Eripe me Domine ab homine malo*, ideſt, à meipſo; quo recedere non poſſum: Nam quocumque me verto, vitia mea me ſequuntur; ubicumque vado, conſcientia mea non me deſerit, ſed præſens aſſiſtit, & quidquid facio, ſcribit &c.) Sed & Rickelius hoc loco ſic pie de ſeipſo hunc verſum accipit: (Ego, inquit, dum verſum hunc dico, per *hominem malum*, & *virum iniquum*, meipſum intelligo. Neminem enim tam ſecure, certe, atque ſalubriter malum, & iniquum voco, ac judico, ſicut meipſum; præſertim quum dicat Apoſtolus, *Quis ſcit quid agatur in homine, niſi ſpiritu ejus e?* Peto igitur eripi à me-

e 1Cor.2.12

ipſo, ut deſinam eſſe malus, & impius, ſicq; abnegem, & relinquam meipſum, non quantum ad id, quod ſum per naturam, & gratiam, ſed quoad id, quod ſum per propriam voluntatem, & culpam. Richardus *f* S. Victoris

f annot. in Pſ.

ſubtiliter tractat hunc locum, explanans de diabolo. Ait hominis appellationem ei tribui, quatenus tentat non ſolum ſubito præveniendo rationis judicium, ſimilis avi- B bus; nec tantum violente, quando virtutis noſtræ poſſibilitatem excedit, ſimilis feris beſtiis; verum etiam fraudulenter, ac aſtute & quaſi ratione utendo. Facit vero ſic loquentem hoc loco Prophetam. (Vide quia talem tam aſtutum hoſtem ſuſtineo, cujus comparatione quaſi brutum animal appareo, quanto animal ab homine ex rationis privilegio præceditur, tanto intelligentiæ noſtræ exiguitas calliditatis ejus magnitudine ſuperatur. Vix ejus inſidias adverto: vix ejus aſtutias deprehendo, *Eripe me ergo*, &c. Si te parum movet, quod quaſi animal contra hominem pugno, quod brutum quodammodo contra callidum inſidiatorem decerto: ſi ergo te non movet, quod hoſtis meus homo eſt, moveat ſaltem quod malus eſt.] Deinde ſequentia explanans, *à viro iniquo eripe me*, dicit, forte idem replicari: videri tamen aliud innui, cum nomen *hominis* etiam de fęmina & puero dicatur, non autem viri, nempe quod non ſolum ſenſerit hoſtem ſuum prudenter agere, ſed etiam fortiter, violente, vehementer: hac de cauſſa nominaviſſe illum prius malum, nunc iniquum, quia nocere ſemper deſiderat, ſæpe autem æquitatis menſuram, & modum excedit. Poſtremo circa *eripiendi* po- C tius quā *liberandi* verbum bis repetitum, notat deſideriū celeris auxilii: & quod id fieri per vim oportere credebat, dum ſe ereptione, non præceptione liberandum poſtulabat; non quod Dominus hoc præcipiendo non poſſet; ſed ut humano modo loquens, magnitudinem periculi oſtenderet. Admitti poteſt ex parte iſtiuſmodi obſervatio, licet veriſimilius ſit ſynonyme idem repeti; & *liberandi* verbum quidam ponant, ut poſtea videbimus. Richardum tranſſcribit Bonaventura, nomen reticens.

Eripe me Domine ab homine malo.) Hieronym. apud Fabrum, & Victorium, *erue me Domine ab homine malo*: apud alios, *eripe*: in vetere Pſalterio apud Auguſtinum, *exime ab homine maligno*. Vertunt hìc etiā alii, *libera me*: quod habetur Hebraicè, חלצני *challetſem*, Græcè, ἐξελοῦ με. Hoc noto, ne quis tam exactum putet in verbis diſcrimen, cum ſynonyme ſumi poſſint, ut *liberare*, & ſimilia: quamvis Richardus diſtingueret eo modo, quem dixi. Negari non poteſt, quin Hebræum verbum innuat extractionem, licet aliis locis reddatur *eripere*, *eruere*, *liberare*, &c. Sed & Hugo ob *eripiendi* verbum, conſiderat D hærentem mundo per amorem, ligatum per pravam conſuetudinem, oppreſſum per deſperationem, debilem per naturalium quamdam corruptionem; & vulnerationem, concluſum propter perplexitatem, retentum per diaboli poteſtatem, timidum exire propter ſatisfactionem. Verum etiam eſt אדם *Adam* appellative complecti quemlibet hominem, fœminam, puerum, virum, &c. Rationes item allatæ, cur diabolus cognominetur homo, & inimicus homo, commodæ ſunt. Quamquam & vere Chriſoſtomus docet, τὸ πονηρὸς abſolute de diabolo dici, quoniam ipſe eſt pater improbitatis, quæ πονηρία, inquit, dicitur ἀπὸ τοῦ πόνου, quia laborem & ærumnam poſſeſſori

g Prov 9.12.

affert. Inde occaſionem capit demonſtrandi, quod antea retuli, ſibi uni improbum nocere: &, ut Sapiens *g* loquitur, quod *qui illuſor eſt, ſolus portabit malum*. Græcè, ἐὰν κακὸς ἀποβῇς, μόνος ἀντλήσεις κακά, *ſi malus evaſerit, ſolus hauries mala*.

A viro iniquo eripe me.) Romanum Pſalterium, *libera me*, ut quidem Faber citat: id enim, quo utitur Baſilica Vaticana, habet, *eripe*. Ambroſianum addito &, legit quo-

quoque, *libera me*. Vetus & Auguſtinus, *à viro injuſto erue me*. Hieron. pluraliter, *à viris iniquis ſerva me*, aut *ſalva me*. Nec refert, quod Hebræum verbum ſit futuri temporis, תנצרני *thintſor*, quia hoc ſervit imperativo. Licet Cajetanus obſervet priore membro imperativum per modum præcantis poni, hìc aſſeri futuram cuſtodiã, ut innuatur divina gratia ſupplicando; & certitudo ſpei ex divina revelatione, operando. Nomen איש *is* collectivè ſumſit pro multis, quo modo potuit אדם *Adam* in priore membro. Ob aliud nomen חמסים *ohamaſim*, vertunt alii, *à viro injuriarum, violentiarum, iniquitatum, rapinarum, tyrannidum, mendaciorum*. Rectè adagium *a*, (Homo homini lupus.) Cicero in Conſolatione, ſi tamen Cicero, nullum, ait, in toto terrarum Orbe genus animantium reperiri, præter unum hominem quod in proprium genus, atque in ſeipſum ſævitiam exerceat ſuam. De hominis inhumanitate, atque in genus proprium ferocia maxima, conſule Lelium Biſciolam *b* noſtrum. Quid nonnulli differre velint ab homine virum, iniquum à malo, prius denique ab hoc membrum ſatis antea monitum.

a Plaut. in Aſinaria.
b lib. 2. hora ſubſeciva, cap. 3.

Verſ. 3.) Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia.

Senſus loci

HOminem malum, virumque iniquum collectivè pro multis accepiſſe ſe in verſu præcedente nunc oſtendit, utens numero plurali. Cauſſam vero aperit, cur adeo enixe flagitaverit eripi ſe ab illis: quoniam agitarent animo noxia conſilia, & comminiſcerentur varias nocendi rationes, & quotidie conſultarent de præliis ſuſcipiendis, eademq; quavis oblata occaſione aggrederentur, nullas dantes inducias, nullum interquieſcendi ſpatium permittentes. Non eſt difficile iſta de Chriſto interpretari & in ſeipſo, & in ſuis membris, ob adeo multiplices perſecutiones, tribulationes, tentationes externas, internaſq; occultas & apertas, adverſus quas armat nos Apoſtolus *c* πανοπλίᾳ, armatura Dei, omniq; genere armorum ſpiritualium, galea, lorica, ſcuto, gladio. At non idcirco, ut pridè annotavi, non ad litteram accipi hæc poſſunt de C Davide, quamvis nec ita continua prælia ſit expertus, nec internas cogitationes aliorum noſſe quieverit. Sunt hæc argumenta Hilarii, quibus non aliter, quam de Chriſto Pſalmũ exponi ad litteram poſſe contendit. Cognoſcuntur, & hominis cogitationes, quas in corde agitat, ab homine per quædam effecta: & Saul, Philiſthæi, Abſalom continuis fere bellis Davidem exercuerunt. Richar. Victorin. pergens exponere locũ hunc de tentationibus diabolicis, ait, quod maligni ſpiritus coram jam perfectis viris iniquitatẽ cogitant, quia in quantum poſſunt, fraudulentæ perſuaſionis dolos occultant, & ſub ſpecie boni mala perſuadere volunt. Docet præterea, his gradibus malum creſcere, ut primo cogitetur, poſtea dicatur tandem conclametur, juxta illud ex alio Pſalmo *d*, *Cogitaverunt, & loquuti ſunt nequitiã, iniquitatẽ in excelſo loquuti ſunt*: quaſi cogitare, & non loqui, malum eſſet, cùm quod ſuadẽt malum eſſe diſſimulant: loqui, ſed quaſi in ſecreto, malũ non abſcondere, ſed excuſare: loqui in excelſo, quod manifeſte malum eſt, quibuſdam libere imperare. Idem docet, quod iidem dæmones coram perfectè bonis cogitant; coram imperfectè bonis, vel malis, ſuſurrant; coram perfectè malis, clamitant. Poſtremo aſſerit, quod in uno eodemq; homine hunc ordinem ſervant, dum ad perditionem eum rapere feſtinant: prius occultum malum ſuadẽdo, ſub boni ſpecie; poſt manifeſtum malum, ſub excuſatione; tandem publicum malum, præcipiendo manifeſtè: Davidi loqui non præſumſiſſe, ſed tantùm iniquitatem cogitaviſſe, quoniam ex primorum numero erat.

c Epheſ. 6. 13 & ſeqq.
d Pſ. 72. 8

Qui cogitaverunt iniquitates in corde.) Hieronym. & Romanum Pſalterium, atq; Hilarius, Arnobius, Caſſiodorus, præterea Stephan. Papa I. *e*, *malitias*. Vetus Pſalterium, & Auguſtinus, *injuſtitias*. Numero ſingulari ἀδικίαν legunt codices Complutenſes. Regii, alii, Euthymius etiam, & Nicephoros. Pluraliter ἀδικίας correcta Biblia. Et Apollinarius, ἀθέμιστα, *injuſta*, ſeu *illicita*. Hebraicè, רעות *rabboth*, *mala*. Tribus modis bonos mali impugnant, corde, lingua, manu. Agitur hìc de corde, ſequenti membro de manu, in alio verſu de lingua. Cavendum moneo hic Arnob. non illum elegantem Auctorem operis adverſus Gentes, ſed alium, ut oſten- A di in præfatione, dum nos cautos eſſe jubens, & quidem merito, ne malum putemus eſſe quid creatum, & diabolum naturaliter malum, videtur negare ullam actionem per ſe malam eſſe, ullumve peccatum intrinſece malum; ſed tantùm quia prohibeatur à Deo, ut viciſſim nullum actum bonum, niſi quem fieri præceperit. Inter alia exempla probat ex mendacio, quod ait in Judith bonum, contra Suſannam malum fuiſſe. Nec fortaſſi verum eſt, quod idem ait excitatos omnes homines, qui nos impugnent à ſpiritibus nequam. Ut plurimum ita contingere credi poteſt: at non omnis plane peccati primos immediatos inſtigatores eſſe non ambigo, & alibi probavi. Obiter placet in eodem, propter antiquitatem ipſius adverſus noſtri tempori hæreſes notare, quod anathematis cæde aſſerit vitam æternam eripi, & mortẽ perpetuã irrogari: præterea, quod communionis Chriſti meminit, quã percipere non baptizato ſit nefas, ait etiam, quod nihil ſit tam pernicioſum, quam ſi Sacramenta divina conficiatis, qui nullum Sacerdotii gradum accepit.

e Epiſt. 2
Mali bonos tribus modis impugnant.
Arnobii cujuſdam putati cavenda doctrina.

Tota die conſtituebant prælia.) Hieron. Stephanuſq; Papa I quem citavi, *tota die verſati ſunt in præliis*. B Alii, *quotidie*, (ut Symmachum vertiſſe Theodoretus tradit) *pro tota die*, & Apollinarius reddit, ἠμάσιοι, *quotidiani*. Quotidie, inquam, congregant prælia, concurrunt ad bella, coacervant illa, tamquam tubæ belli, excitant alios ad contentiones, congregant ad illa; falſis delationibus accendunt in me aliorum odia, ſicque ſunt belli tubæ. Inſtructionem bellicam, ordinemve militarẽ indicat παρεντάσσοντο, יגורו *jaguru*, futurum pro præterito, ſignificat *verſari, commorari, congregare*: & videtur verbum militare. Chaldæum מורגים *moreghim* in textu Nebienſis importat compoſitionem. Jure ſane Job *f*, *vitam noſtram* pronuntiavit *militiam*, cum contra nos ſint prælia quotidiana, & continua. Chriſoſt. ait hæc non acie geri, armiſque, ſed hominum inſidiis in foro, & domi per improbitatem, verbaque telis acerbiora. Atqui ſi volebant, inquit, belligerari, aliam belli gerendi juſtam cauſſam habebant, adverſus peccata decertando, contra diabolum acies inſtruendo, pugnando contra morbos animæ, enſes in dæmones acuendo. De militia Chriſtiana late patet diſputatio, de qua alibi.

f cap. 7. 1.

Verſ. 4.) Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labiis eorum.

Senſus loci.

DAmnum hoc eſt hominum malorum, virorumq; iniquorum, à linguis eorum, atq; à verbis fraudulentis, convitioſis, detractoriis, calumniatricibus, quæ comparantur cum acuta, ac ſubtiliter penetrante ſerpentis lingua, cumque peſtilentiſſimo aſpidum veneno. Vidiſti, ait Chryſoſt. quam ſit vile & ignobile vitium: facit ex hominibus beſtias, aſpides, ſerpentes: & linguã illam, quæ diſſerendi poteſtate prædita eſt; ad iſtam feritatem deducit. Id Euthymius quoque annotat. Conveniunt hæreticis iſta, *quorum ſermo ut cancer ſerpit g*, atq; *per dulces benedictiones ſeducunt corda innocentium h*, & *lingua ſaggitta vulnerans i*; præterea Judæis effundentibus in Chriſtum maledicentiæ virus, ut oſtendunt Hilar. & Rickelius. Martialis *k* Apoſtolorum æqualis etiam applicat ad infideles, qui obſtinate reſpuunt veritatem. D Conſiderat Auguſtinus in ſerpente maximam aſtutiam, dolum nocendi, ut propterea etiam ſerpat; non habens pedes, ut ejus veſtigia, quum venit, audiantur; in ejus itinere velut lenis ſit tractus, ſed non rectus; repat, & ſerpat ad nocendum; habens occultum venenum, & ſub leni contactu. Vocat Hilarius fraudulentæ blandiloquentiæ venenum. Relege dicta Pſalmo 13. *l* ubi mentio de veneno aſpidum, & in 57. *m*.

g 2. Tim. 2. 17
h Ro. 16. 18
i Jerem. 9. 8
k Ep. ad Burdegalenſ.
In ſerpente maxima aſtutia, & dolus nocendi.
l verſ. 3.
m verſ. 5.

Acuerunt linguas ſuas.) Hebraicè, & Græcè, & in translatione Hieron *linguam ſuam* in ſingulari. Videlicet quiſque acuit ſuam. Ob iſtam acutiem noxiam comparatur alibi *n* lingua cum gladio, & novacula *o*.

n Pſ. 56. 5. Pſ. 58. 8. Pſ. 63. 4
o Pſ. 51. 4

Sicut ſerpentis.) Sic modo in emendatis Bibliis, quod prius multi legebãt, *ſicut ſerpentes*. Græcè, ὡσεὶ ὄφεως: & nomen Hebræum נחש *nachas* numeri ſingularis eſt: meliuſq; vertiſſet Hieronym. fortaſſe, *quaſi ſerpentis*, quam, *quaſi ſerpens*, ut ſignificetur, quod maledicus homo acuit linguam ſuam, ſicut eſt acuta lingua ſerpentis, non ſicut ſerpens ipſe acuit linguam ſuam. Senſus tamen adhuc eſt, *quaſi ſerpens*, qui habet acutam linguam. Eadem ratio, ſi

Serpentis lingua biſulca.

ſerpentes legas. Serpentis linguam biſulcam δίκροαν *a*, ac duplicem, bifidamve, & illum bilinguem, item linguam ejuſdem triſulcam, trifidam, triplicem vocant, & tres in comicantes linguas aſſerunt *b*. Iſidorus *c* videri ait ſerpentis triplicem linguam eſſe, quum una ſit: quia nullum animal tanta celeritate linguam movet. De lingua viperæ Job *d*, idem affirmat, quod *occidat veneno ſuo*; hocque ipſo loco noſtro Arabica vox *viperam* ſignificare itẽ poteſt; retuli etiam antea, vocatam à Jeremia *e ſagittam vulnerantem* eam linguam, quæ loquatur dolum. Tandem Halicarnaſſeus *f* dixit acui contra alium linguam ſermonibus ἀντὶ τῶν ὅπλων pro telis. Alioqui acui lingua dicitur in bonam partem etiam, ut exercitationem dicendi *g*. Notata ex his aliqua hoc loco à Bochio, & à Cerda noſtro ad 3. Georgicon Virgilii.

Venenum aſpidum ſub labiis eorum.) Numeri ſingularis עכשוב *hhachſciuu* in hoc tantum loco, pro quo nomine in Pſalmo 57. *h* eſt פתן *pethen*, in 13. *i* autem verba, quæ hìc ſunt, etiam habentur; ſed non Hebraicè. Præter ea vero, quæ ibi dixi de vi lethifera veneni hujus, legendus Dioſcorides *K*, cum ſcholiaſte Matthiolo. Hic eſt סלה *ſolah*, & διάψαλμα, de quibus jam pridem in Pſalmis alii meminimus. Chryſoſtomus exponens Hebræam vocem, ut ſignificet *ſemper*, ait exaggerari venenatæ linguæ iniquorum damnum, quod ſit perpetuum. Videlicet, quemadmodum paullo ante dicebatur, *toto die conſtituiſſe prælia*. Non hoc ſignificat nomen Græcum: & quamvis Hebræum id ſignificaret, non eſſet jungendum *veneno*; ſed alium uſum haberet de quo alias.

a Ariſt. 2 hiſt. animal cap. 17. 2. de par. animal c. ult. Plaut. in Aſinaria, & in Penulo & in Perſa Albert. de animalibus Nicander. in Ther.
b Virg. 3 Georg. Ovid 3. metamor. Sen. in Medea, Valer. Flacc. in Argon.
c 12. etym. cap. 4
d cap. 20. 16
e cap. 9. 8
f lib 10
g Cicer. in Bruto.
h verſ. 5
i verſ. 3.
k lib. 6. c. 14

Verſ. 5.) Cuſtodi me, Domine, de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me,

Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos.

Senſus loci.

EX tribus malis, quibus nocent improbi, corde, lingua, manu, hoc ultimum videtur nunc deſignari, ut quod Hilarius, quæ ſuperius de verbis, (adde de cogitationibus) nunc ſit querela de factis. Ergo petit David, ne manus peccatoris, hoc eſt, inſignis alicujus perſecutoris, ut C Saulis, Abſalonis, &c. appropinquet, noceatq; ac ne alii peccatores id poſſe, & facere ſinantur, atque quod maxime cupiunt, & nituntur, ſupplantare greſſus ſuos, ideſt, evertere omnia conſilia, & ſtudia honeſta, & ſtructis capere inſidiis, & omnem viam, curſumque felicitatis, ſeu proſperitatis abrumpere, deniq; in deſperationem, & ex hac in contemtum Dei redigere. Conqueſtus eſt David apud Saulem, quod audiret verba hominum loquentium, *David quærit malum adverſum te l*: & quod *ejicerent ipſum, ne habitaret in hæreditate Domini, dicentes, Vade, ſervi diis alienis m*. Videri tamen etiam poteſt hìc repetitio eſſe eorummet, quæ dicta ſunt initio Pſalmi, paucis mutatis Juxta eamdem allegoriam, vel tropologiam ſupra indicatam, poteſt hìc locus exponi de diabolo primo peccati architecto, quique *ab initio peccavit n*, & de miniſtris ejus tum ſpiritibus, tum hominibus malis, qui non modo fraudem facere quærunt in temporali negotio; ſed multo magis in ſpirituali, & in via Dei, ut Auguſtinus declarat. Hilarius peccatorem, ut prius, traditorem Judam intelligit, in aliis reliquos Judæos perſecutores, qui poſt ſuſcitatum Lazarum, conſilium de occidendo Chriſto inierunt, & variis aliis modis egregium divinarum D operationum ejus, greſſum atque curſum ſupplantare cogitaverunt. Simili in Pſalmo 70. *o* ſententia, *Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui*.

l 1 Reg. 24
m cap. 26
n 1 Joan. 3. 8 ubi vide commentarium noſtrum.
o verſ. 4

Cuſtodi me Domine de manu peccatoris.) Hieronymus, *de manu impii*, רשע *raſciabh* de quo dictum alias. Vetus Pſalterium, & Auguſtinus habent, *conſerva*, & Hebraicè cum præpoſitione ſunt *manus* numero plurali מידי *mide*. Eſt diabolus κατ' ἐξοχὴν peccator ἁμαρτωλὸς רשע *raſciabh* un ante dixi.

Et ab hominibus iniquis eripe me.) Hieronym. *à viro iniquitatum ſerva me*. Romanum Pſalterium, *libera*. Vetus, *erue*. Hebraicè מאיש חמסים *meis chamaſim*, quemadmodum verſu 2. ubi erat Latinè, *à viro iniquo*, & nomen Græcum ἀνδρὸς pro quo hic ἀνθρώπων, ut non ſit perpetuum diſcrimen inter vocabula, ſed ſæpè ut ſynonyma uſurpentur.

Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos.) Verſu 3. & A poſtea in 9. repetitur idem verbum, *cogitaverunt*, ut ſignificetur valde meditatum deliberatumque odium, & diu, ac ſerio excogitatæ inſidiæ, crebra nocendi conſilia, artes perdendi exquiſitæ. Quid ſit *ſupplantare*, & quidem etiam *greſſus*, vidimus in aliis Pſalmis *p*. Græcè ἀποσκελίσαι, vel ὑποσκελίσαι, & συμποδίσαι. Hebraicè diverſis verbis, & phraſibus dicitur, quæ ſignificant *incurvari, deficere, movere greſſus*. Exempla ſunt alia ejuſdem ſupplantationis in Job *q*, Proverbiis *r*, Eccleſiaſtico *ſ*, Jeremia *t*, ubi negatur, quod *Deus ſupplantet judicium*, & aſſeritur, quod *impietas peccatorem ſupplantat, & multos ſuſpicio rerum, quæ non intelliguntur*: poſtremo monetur quiſque, ut *cuſtodiat ſe à proximo ſuo, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit*. Gymnaſticè artis, & pugilum, luctatorumve aut curſorum, ſupplantatio eſt talis:

u Qui ſeſe oppoſuit Salio per lubrica ſurgens.

Id Plato *x*, hinc exemplum petens explicat, ut quum aliqui ſubſellia ſedere volentiũ furtim ſubtrahunt, dumq; illos in terram vident reſupinos Χαίρουσι καὶ γελῶσι, *exultant & rident*. Accurate Petrus Faber in Agoniſticis *y* de his B differit. Nec Seneca *z* dubitavit *ſupplantandi* verbo in eodẽ uti ſenſus laudans eum athletam, qui ſupplantatus, adverſarium toto tulerit corpore, nec projecerit animum projectus, & quoties ceciderit contumacior reſurgit.

p Pſ. 16. 11 Pſ. 17. 10. Pſ. 36. 31
q cap. 8. 3
r cap. 13. 6
ſ cap. 3. 16
t cap. 9. 4
u Vir. 6. Æn.
x In Euthydemo.
y lib. 1. 2. 10.
z Epiſt. 13

Verſ. 6.) Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum; juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.

Senſus loci.

INſidias adverſariorum declarat figurato ſermone, ac ſimilitudine ex laqueis, qui clam tenduntur avi, vel beſtiæ, ut ſe imprudens in eo induat: præterea qui collocant offendicula, tendiculas, muſcipulas, juxta iter, ac in aperto loco prope viam tritam, ipſaſq; curruum orbitas, ubi nemo ſuſpicaretur periculum, Exaggerat vero rem epitheto *ſuperborum*, quod incredibile, ac indignum etiã, & alienum videatur à ſuperbis, quiq; ſe de viribus, opibus regno ipſo jactare ſolent, inſidiis, fraudibus, technis uti. C Diabolus *Rex eſt ſuper filios ſuperbiæ* a, & *in hac ſumſit initium omnis perditio b*: quia per ſuperbiam ille peccavit, volens *Altiſſimo ſimili fieri c*; idemq; perſuadens primis parentibus *d*. Abſcondit ubique laqueos, boni ſpeciem oſtentas, utilis & jucundi: honeſtatem celans, nec non amaritudinem, ac jacturam ex peccato conſequentem: extẽdit varios funes, ut magis implicet, ac ex uno in aliud peccatum trahat: tandem juxta iter parat ſcandalum, & prope viam Regiam divinæ legis in qua *pax eſt multa iis, qui diligunt ipſum, & ſcandalum nullum e*. Ideo *caute ambulandum f*, nec à lege regali deviandum. *In medio laqueorum ingredimur g*, quibus plenum vidit Antonius mundum, admonitus ab humili effugi poſſe, & evadi *h*. Rectè, nam ſuperbi dæmones hos laqueos tendunt Hilarius interpretans de fraudibus Judæorum adverſus Chriſtum, inſtruit nos etiam dicta tropologia, montes Deum orare, ut ab his omnibus laqueis fidei noſtræ pennis, & ſpiritus evolemus. Auctor *i* operis imperfecti eumdem ſenſum de diabolo, in omni opere bono ſcandalum ponente: nec aliter eſſe ſecurum, niſi eo modo probetur. Ambroſius K Chriſto duce opus nobis fuiſſe, quiq; tentaretur, docet, ut laqueos poſſemus tot evadere, in corpo- D re, lege, pinnis templorum, crepidinibus parietum, philoſophis, cupiditatibus, pecunia, religione, ſtudio caſtitatis. Auguſtinus hoc loco ait, quia diabolus erat ſuperbus, propterea invidiſſe, ac impedire ſtuduiſſe, ne regnum cælorum, quod amiſerat, homo acquireret, idem facere injuſtum hominem, qui ex ſuperbia juſtus videri vult; & ideo alteri vere juſto homini invidet, proindeq; illum perſequitur, procurans, ut amittat juſtitiam, de qua in Domino gloriatur.

a Job. 41. 25
b Tob. 4. 14
c Eſa. 14. 14
d Gen. 3. 6
e Pſ. 118. 165
f Epheſ. 5. 15
g Eccl. 9. 20
h Athan. in vita.
Tropolog.
i Homil. 13
k lib. 4 in Luc.

Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.) Vetus Pſalteriũ & Auguſtinus, *muſcipulam*, פח *pach*, παγίδα, de quibus alibi. In Romano Pſalterio, & Ambroſiano, apudque Arnobium & Caſſiodorum, *laqueos* in plurali. De abſconſione laqueorũ crebra in prioribus Pſalmis *l* mentio, & poſtea in 141. *m*. Quare nominatim ſuperbi ſint hìc expreſſi; præter indicatas cauſſas, illa etiam aſſignari poteſt, quoniam, ut alibi *n* docui, *ſuperbiæ* nomine peccata cetera comprehenditur, quemadmodum virtutis nomine *humilitatis* & *manſuetudinis*, & in *ſuperbia*; ut

l Pſ. 9. 16. Pſ. 33. 5. Pſ. 34. 7 8. Pſ. 55. 7. Pſ. 63. 6
m verſ. 5.
n verſ. 5
n Pſ. 24. 9. Pſ. 23. 3. & in 1 Petr. 5. 5

ut paullo ante dicebam, *ſumſit initium omnis perditio a.* Lege Riberam noſtrum *b.*

a Tob. 4. 14
b in Oſ, 7. n. 7. & 8

Et funes extenderunt in laqueum.) Hieronym. *& funibus extenderunt rete.* Hoc Trevetus refert ad retia venatorum: precedens membrum ad laqueos aucupum. Additur in Romano Pſalterio, & apud Caſſiod. & Gregor. *c, pedibus meis.* Vetus Pſalterium, & Auguſt. habent: *& reſtes extenderunt muſcipulas pedibus meis.* Hilar. *in muſcipulam.* Pſalterium Ambroſ. *& funibus prætenderunt laqueum pedibus meis.* Arnob. *& funes tetenderunt in muſcipula pedibus meis.* Hieron. *d* monet; *pedibus meis*, ſuperfluum eſſe, Græci tamen codices id habent, & Apollinarius nomen ποζὶν in ſingulari. Alii ex Hebreo, *& funibus extenderunt rete*, vel *reti*, ſeu *ad rete.* De myſtica laqueorum, ac funium notione dictum alias, nempe ut peccata deſignant. Talibus funibus *ligati manibus pedibuſq; mittuntur in tenebras exteriores e*, qui nempe *traxerunt iniquitatem in funiculis vanitatis f*, & tot funiculos complicantes, & contorquentes, rumpi, & emendari nõ poſſunt; quia *funiculus* adeo *multiplex difficile rumpitur g.* Extendunt hos funes in laqueum, & prolongant iniquitatem ſuam in laqueum aliis, hi qui malis B tum conſiliis, tum exemplis alios corrumpunt. Huc referri poſſunt *nervi teſticulorũ Leviathan perplexi h*, quia ut ait Gregor. *i*, ſuggeſtionum illius argumenta implicatis inventis illigantur, ut pleroſq; ita peccare faciat, quatenus, ſi fortaſſe fugere peccatum appetant, hoc ſine aliquo peccati laqueo non audeant, & culpam faciant, dum vitant, ac nequaquam ſe ab una valeant ſolvere, niſi in alia conſentiant ſe ligari. Exempla ſubjicit, quibus aliqui in quamlibet partem declinent, metuunt ne à tranſgreſſionis contagione liberi non ſint. Eodem pertinet, quod ait hoc loco Auguſt. addi peccata peccatis, & pro accuſatione excuſationem, & defenſionem; & plerumq; aliis peccatis velle aliquem munitum eſſe, propter illa, quæ commiſit: ut ſi fecit adulterium, addendo homicidiũ, ne occidatur: inſuper maleficium, perjurium, &c. Citat Auguſt. præter parabolam ejus, *qui ligatis manibus; pedibuſq; projectus eſt in tenebras exteriores K*, & præter Eſaias *l* prius allatum, ex Proverbiis *m* etiam, *Iniquitates ſuæ capiunt impium: & funibus peccatorum ſuorũ conſtringitur*; item quod *de funiculi, facto flagello Chriſtus ejecerit ementes, & vendentes de templo n.* Hic item eſt C funis, quo Deus *baltheum regnum diſſolvens, præcingit rene, eorum o*: nempe, ut Gregor. *p* explanat, in his qui bene regere ſua membra videbantur, propter elationis culpam caſtitatis cingulum deſtruens; ita ut delectatio peccati eorum membris dominetur. Arnobius *funes* interpretatur de vinculis ſyllogiſmorum, quibus aſſertiones ſuas Hæretici conantur irretire; præterea, ſuggeſtiones dæmonum.

Laqueorũ ac funium notio myſtica
e Matt. 8. 12 cap. 21. 13
f Eſa. 5. 18
g Eccl. 4, 12
h Job. 40. 12
i 30. moral. cap. 18. 19. 20
K Matt. 8. 12 ca. 22. 13
l cap. 5. 18
m cap. 5. 22
n Joan. 2. 15
o Job. 12. 18
p 11. moral. cap. 8. vel 9

Juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.) Hieron. *juxta ſemitã offendiculũ poſuerunt mihi.* Alibi *q*, citans hunc locum, differt ab editione noſtra tantũ, quod ponat, *ſemitã.* Ex Hebræo reddunt alii, *in loca ſemitæ laqueos poſuerunt mihi, ad manum tramitis* aut *ſemitæ, quæ parte iter agẽdi mihi.* Hebræum nomen, pro quo *ſcandalum* ponitur, eſt numeri pluralis מוקשים *mokeſcim*: quod *juxta iter* dicitur habetur ליד מעגל *letad mabbgal, ad manum viæ tritæ, quam vocant actum, vel arbitram, & viam carri*, ſeu *plauſtri.* In Pſalmo 23. *r ſemitæ juſtitiæ* dicuntur eodem nomine, Vide quæ ibi dicta ſunt. Græcè ſic eſt ἐχόμενα τρίβου σκάνδαλα ἔθεντό μοι *juxta viam tritam ſcandala poſuerunt mihi*; vel, ut ad verbũ transfert Hilarius, *continuata ſemitis ſcandala poſuerunt mihi*, & Ambroſianũ Pſalteriũ, *detinentes ſemitas ſcandalũ appoſuerunt mihi.* Ubi neſcias an, *detinentes*, ſit item quod, *continentes*, & jungendum ſit tamquam epithetum *ſemitis*, an ſpectet ad *ponentes ſcandalum*: primo modo legi deberet Græcè ἐχομένας τρίβους, ſecundo ἐχόμενοι τρίβους, juxta Hilarium ἐχόμενα τρίβοις Sunt ἐχόμενα τρίβους, *quæ juncta ſunt via tritæ*, ſeu *continue atque contigue ſe habent ad illam.* Quo pacto apud Marcum *ſ* ἐχόμεναι κωμοπόλεις dicuntur *contigua oppidula.* Euthym. & Nicephorus declarant ἐγγιστα τῆς ὁδοῦ *proxima viæ*, nempe quæ attingerent, & contigua eſſent viæ, ὥστε περιπεσεῖν προσκόμμασιν ἀφυλάκτως βαδίζοντα, *ut incideret in offendicula incaute incedens.* Vetus Pſalterium, & Auguſtinus legunt, *juxta ſemitas ſcandalum poſuerunt mihi*, cũ tamen pluraliter ſit σκάνδαλα, ut etiam legit Hilarius, ac in eodem numero nomen Hebræum. Non puto, *juxta iter*, propriè hic indicare extra iter, licet prope idem: ſed in ipſomet itinere, per A quod tranſeundum erat: alioqui fruſtra poneretur ſcandalum extra illud Sic eadem fere erit iſta ſententia cum alia Pſal. 141 *t In via hac, qua ambulabam abſconderunt laqueum mihi.* Quamvis ibi Auguſt. myſticè declarans, & *viam* pro Chriſto ſumens *u*; docet revera non poni in via, etiamſi eo loco quoſdam poſuiſſe dicat juxta cupiditatem ipſorum, ſeu quia ponere cupiverunt. Hic pariter ait *poni ſcandalum juxta ſemitas* (ita enim legit) non *in ſemitis.* Sed & Adelmanus *x* Berengario ſcribens, hortatur omni ſtudio viam regiam ingredi, & ſanctorum Patrum veſtigiis obſervantiſſime inhærere: ut nullum prorſus in diverticulum, nullam in novam, & fallacem ſemitam deſiliamus; ne forte in laqueos, & ſcandala incidamus, prout hìc dicitur: id enim, quod eſt juxta iter, eſſe extra iter; in via autem, quæ lex eſt, ſeu in lege, quæ via, *pacem multam eſſe ſine ſcandalo y.* Creditus Hieron. *juxta iter ſcandalum ponere*, ait, qui de Scripturis proferunt teſtimonia, quæ quaſi videntur rationem aliquam habere, ut decipiant. Vetus Hieron. *z* explicat, niſi quis Dei viderit ſemitam, ideſt, Chriſti nomen audierit, non ingreſſurum per eam; idcirco Hæreticos ſub nomine Chriſti B juxta ſemitam ponere laqueos; ut qui in Chriſto calcare ſe credit, *qui vita eſt a*, calcet in eorum laqueis, qui inſaniam in domo Dei confinxerunt; illos non poſſe decipere ſimplices quoſque credentium, niſi nomen Chriſti propoſuerint, ut dum putamus nos Chriſtum invenire, pergamus ad Antichriſtum. Gregor. *b*, declarans myſtice tres cuneos Philiſtinorum *c*, tertium, qui vertit ſe ad viam termini, ait terminum cogitationis, & verbi eſſe conſummationem boni operis: quum autem antiquus hoſtis verbis & cogitationibus nocere non prævalet, in finem laqueos tẽdere, & bonum opus fidelium evacuare, vel impedire appetere: præter ea ſumendo hunc terminum pro fine vite, interrumpere docet hoſtem opus bonum niti, ne uſq; ad finem perducatur: deniq; Pſalmiſtam lapſorum fletum in ſe hic exprimere, velle dicere quod *juxta iter ſcandalum ponitur*, ut bona electorum opera ante hujus vitæ conſummationem deſerantur. Veriſimilis adhuc tropologia, ut *ſcandalum* dicatur *juxta iter poni*, quando quæ publicè palamque fiunt bona opera, laudantur ab aliis cum periculo vane gloriæ, & ſuperbiæ. Hic demum eſt סלה *ſelah*, & διάψαλμα. Caſſiodorus primum Pſalmi hujus appel- C lat, omittens aliud in fine verſus 4. quod Haimo etiam indicat. Sed Beda in collectione diapſalmorum, ut ipſe loquitur, hos duos enumerat.

q in Oſ. c. 9 & Amos. 3
r verſ. 3
ſ cap. 1. 39
t verſ. 4
u Joa. 14. 6
x tom. 3 bibl. Patrum.
y Pſ. 118 167
z in Oſ. 9
a Joan. 14. 6.
b in 1. Reg. 12. lib. 5. c. 3
c 1. Reg. 13. 17

Verſ. 7.) Dixi Domino, Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

Senſus loci.

IN tot, ac tantis periculis conſtitutus hominum malorum, virorum iniquorum, excogitantium iniquitates, conſtituentium prælia quotidiana, acuentium linguas ſuas venenatas, machinantium ſupplantare greſſus ſuos, omnemve curſum actionum, ubiq; laqueos tendentium in ipſa etiã publica via, non contentus quater efflagitaſſe, ut eripere, ſeu cuſtodire Deus dignaretur, hoc idẽ propoſitũ renovans, ac veluti mirans, ant conquerens ſe non exauditũ, ait ſe illum iſto ſermone invocaſſe, quum certũ omnino eſſet numquã ab eo abſtrahi. Quidquid adverſarii moliantur, tenent, agant, ego te, ò Domine Deus, Domini, Deique ſemper loco habebo. Tuæ ſunt partes, ſervũ D atq; cultorem tuum tueri ac liberare, & ſupplicis tui humilem, ſtabilemq; deprecationem exaũdire. In prioribus Pſalmis hujuſcedomi pathetica oratio præceſſit non ſemel ut *d, Conſerva me, Domine quoniam ſperavi in te, dixi Domino, Deus meus es tu*; item *e, Ego autem in te ſperavi. Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ, eripe me de manibus inimicorũ meorũ, & à perſequentibus me*: præterea *f, Ego dixi, Domine miſerere mei*: denique in 141 *g Clamavi ad te, Domine, dixi, tu es ſpes mea.* Obſervat Chryſoſtomus generoſum animum & mẽtem ſtudioſam, non confugientem ad humanum auxiliũ, nec ad humanas cogitationes, ſed in cœlum reſpicientem, & Deum invocantem: non conturbatam, nec conſternatam, non etiam cauſſantem, quod in hac, & in illa re ſe rectè geſſerit, aut juſtitiam fecerit, ſed afferentem cauſſæ maximæ loco, cur petat auxilium, quod confugiat ad Dominum opificem, & Regem. Hilarius hoc etiam interpretatur ut à Chriſto dictum, cui uſitatum, & frequens, & proprium fuerit, ſic orare, & ita compellare

d Pſ. 15. 1. 2
e Pſ. 30. 15. 16
f Pſ. 40. 5
g verſ. 6

Deum,

Deum, ac Dominum ſuum. Coaptans præterea idem A perſonæ noſtræ, obſervat non levis, atque exiguę fiduciæ eſſe, Domino dicere, *Deus meus es tu*: loqui iſtud mentem libidinoſam, avaram, inſolentem, ebriam fideliter non poſſe, ſed quæ renunciaverit, his omnibus, & ſervitute eorum, ac famulatu deſierit. Si non es ſanctus, inquit putatus Hieronym. non potes hunc verſiculum dicere. Magnam quoque vocat vocem orationis hanc Auguſtin. quæ moveat fiduciam, & propriam eorum, qui Deo fruuntur, qui ei ſerviunt, qui libenter, ſub ipſo ſunt, qui appellant, à quo coronentur, cum mali fugiant, ſed fruſtra, à quo damnentur, nec faciant ipſum converſione ſuum. Iſtis connumerat Caſſiodorus hæreticos, quibus Deum ſuum appellare non liceat. Idem vero Auguſt. attendit præterea in vocabulo *vocis*, affectum animi, & quaſi vitam deprecationis, quia ceteri ſtrepitus ſine anima ſoni dici poſſunt, voces non poſſunt, cùm vox proprie animatorum ſit, & vivorum: ita ut qui deprecatur Deum, nec ſentit eum, vel non bene cogitat de illo, ſonum deprecationis habeat, non vocem, quia vita ibi non eſt.

Dixi Domino, Deus meus es tu.) Præter Hilarium, de quo memini, Rickelius quoque ſic loquentem Chri- B ſtum facit, quia Deus omnium erat ſingularite: Deus Chriſti, ut hominis, quia prælectus eſt hic homo à Deo, præcipueque amavit Deum, & coluit, *quæ placitæ ei erant faciens ſuper a*, & poſtremo vocavit ipſemet *Deum ſuum b.*

a Joan. 8. 29
b Matt. 27 46 Joan. 20. 17

Exaudi, Domine; vocem deprecationis meæ.) Hilar. *inaurire, Domine, vocem orationis meæ.* Nomen quoque orationis habet Romanum Pſalterium: Ambroſianum, *auribus percipe, &c.* Verum *in aurire* paſſivum reſpondet Hebræo האזינה *zaazinah*, & Græco ἐνώτισαι Verum de his verbis, ut & de nominibus deprecationis δεήσεως, תחנון *thachanum*, deque tota phraſi, diximus alias. Id item quod circa *vocem deprecationis* obſervaſſe Auguſtinum dixi, ſignificare veluti animam orationis: ut & quod Caſſiodorus puritatem, & clamorem tacitum, quia ſanctæ operationis vox eſt rerum ipſarum loquaciſſimus clamor, non hominibus notus, ſed ſoli Deo cognitus: hæc, inquam, juxta tropologiam notatu digna. Ceterum ſimplici, ac litterali ſenſu *vox deprecationis* non differt à *deprecatione.*

Verſ. 8) Domine, Domine, virtus ſalutis meæ, obumbraſti caput meum in die belli.

Senſus loci.

AFfectum orationis, & urgentem auxilii divini neceſſitatem declarat, ingeminans nomen *Domini*, & appellans *virtutem ſalutis ſuæ*, unde pendeat robur, ac potentia, qua reſiſti poſſit adverſariis. Tanto etiam confidentius rogare ſe ſignificat, quod jam alias protectionem Dei expertus fuerit, quum videlicet graviter ab oſtibus oppugnaretur: tunc enim veluti galea (vocat Paulus *c*, *galeam ſalutis*) caput armaſſe, ut mortem averteret, vel etiam æſtum Solis in pugna veluti aura, roreve, aut umbraculo benigni auxilii temperaſſe, ac refrigeraſſe. Explicant Lyranus, & Trevetus de duello cum Golia. Refert hoc Auguſtin. ad pugnam ſpiritualem foris contra fictos bonos, intus contra concupiſcentias, & *legem membrorum repugnantem legi mentis d.* Hilarius exponit de Chriſto, & annotat humani voti rem eſſe, ut virtuti noſtræ ſalutem precemur, hanc è contrario precationem eſſe, ut ſalutis virtus à Deo ſit, & qui ſaluti virtutem precatur, jam de ſalute non ambigere, ſed centum eſſe nihil in ſe caducum, nihil mortale eſſe, & ſolum à Deo virtutem ejus, quæ in ſe ſit ſalutis, orare: Chriſtum hoc orantem pacto confidenter dicere, quod obumbraverit, ideſt, obumbraturus ſit, & protecturus Deus ſuper caput ipſius in die belli illius glorioſi, quo mortem perimeret, diabolum vinceret, omnes poteſtates inimicas triumpho Crucis ſuæ configeret. Citat ad idem probandum ex Pſal. 88. *e Manus mea auxiliabitur ei, &c.* Adde Jeremiam *f*, *Dominus mecum eſt quaſi bellator fortis.*

c Eph. 6. 17 1 Theſſ. 5. 8
d Rom. 7. 23
e verſ. 22
f cap. 20. 11

Domine, Domine.) Hieronymus, *Deus Domine.* Sed juxta Trevetum, Fabrum, Victorium, *Domine Deus.* Hebraicè primum nomen eſt יהוה *Jehovah* proprium Dei, licet notetur punctis nominis אלהים *elohim*, alterum אדני *adonai.* Hilar. ponit ſemel tantùm, *Domine.* Tamen ſpectat in repetitione Auguſt. quaſi dicat, quod ſit veriſſimus Dominus, non quales domini homines, non quales A domini, qui emunt, inquit, ſacello, ſed qualis Dominus, qui emit ſanguine.

Virtus ſalutis meæ.) Hieronym. *fortitudo ſaluti meæ*, עוז ישועתי *hhoz jeſciubbathi.* Græcè alius habet κράτος pro δύναμις. Ideſt, qui *das vires ſalutis meæ*, ut exponi Auguſt. & ſecundùm tropologiam, *tu es virtus ſalutis meæ*, faciendo me perſeverare, ut perveniam ad ſalute. Alibi noſter Propheta aſſerit, quod *Domini eſt ſalus g*; quod *eſt cornu ſalutis h*, quod dat *protectionem ſalutis i*, quod *eſt Deus ſalutis K*; quod *ſalus noſtra l*, quod *ſalus juſtorum ab illo m*, quod *mandet ſalutes n*, quod eſt *ſuſceptor ſalutis noſtræ o*; quod *factus nobis in ſalutem p*: quod *det ſalutem regibus q.* Hilarii poſita prius notatio, quid interſit dicere, *virtus ſalutis meæ, & ſalus virtutis*, acumen habet Nihilominus puto ſynonyme ſumi poſſe.

g pſ. 3. 9
h pſ. 17. 3
i verſ. 36
K verſ. 47
l pſ. 37. 23. pſ. 50. 16. pſ. 87 2
l pſ. 26. 1 pſ. 34. 3
m pſ. 36. 39.
n pſ. 43. 5
o pſ. 88. 27
p pſ. 117. 14 21. 28
q pſ. 143. 10

Obumbraſti ſuper caput meum in die belli. Hieronym. *protexiſti caput meũ, &c.* Hebraicè deeſt præpoſitio. Vertunt alii, *qui operuiſti caput meum in die armorum, &c.* vel *operuiſti, & muniviſti*, ideſt, inſtar galeæ, aut clypei fuiſti, & veluti ὑπερασπιστής, qui clypeum perfert, ac prætendit. Generale nomen armorum eſt נשק *neſcek*, ut alibi ſæpius B transfertur; licet hoc loco nomine *belli.* Derivatur à נשק *naſciak, oſculari*, quod ſoleat oſculum libidinem armare, & vulnerare. Quare & obumbrationem iſtam non male cum Auguſt. accipimus, ut eſt adverſus concupiſcentias, legemque membrorum. In Pſalterio Vaticanæ Baſilicæ, & apud Pſalterium in collectione Commentariorũ ex Gregorio *r* legitur imperative, *obumbra caput meum, &c.* & ita etiam Arnob. videtur legiſſe; quamvis cum præpoſitione, *ſuper*, & Faber ex Romano Pſalterio recitet, *obumbraſti caput.* Sed quod attinet ad obumbrationẽ in die belli ſeu prælii, & pugnæ, ne adverſus lædat radii Soltum æſtu, tum impedimento aſpectu oculorum; & ne hoſtium tela feriant: apta eſt, quam dixi, tropologia adverſus æſtum libidinis, & *ſupercadentem ignem, ne videatur ſ Sol*, impedientem, & ut *ignea inimici tela* rejiciantur *t.* Eodem poteſt facere *obumbratio virtutis, Altiſſimi Mariæ*, promiſſa *u*, ut ſcilicet abſque ulla commixtione libidinoſa conciperet, viri locum ſupplente divina gratia, & illam protegente, fovente, impluente. *Sub umbra ſedendum* nobis cum ſponſa *x*, ne vitiorum uramur æſtu, C conſumamurque ardentibus juſtitiæ radiis, & perſtringatur mens nimio divinorum myſteriorum ſplendore. Paterius, quem citavi, ex Gregorio, cujus locus non notatur, docet, quod bellum patimur, cum carnis noſtræ tentationibus oppugnamur, atque de hoc bello hic Prophetam loqui. Bernardus *y* hoc loco ſalubre umbraculum refrigerans, & repellens Solis fervorem, ac fovens, ac abſcondens, protegenſque ab accipitribus, & milvis aerearum poteſtatum, hoc loco deſignari docet, quemadmodum & per ſcapulas Dei obumbrantes, pennaſque ſub *quibus ſperamus z*, & tabernaculum, in quo *abſcondit nos in die malorum a*: Nec prorſus inepte accommodaverit quis eumdem iſtum locum ad Joannis dolium, ſoliumve oleo ferventi plenum, ex quo vegetior exivit, ita ut *impinguaretur in oleo caput, ſicque præclarus fieret calix ejus b*: quoniam obumbrabat Deus in illo die belli, martyriive ſuper caput illius. Poſtremo *obumbrans Deus caput in die belli* cenſeri poteſt quovis genere certaminis contra vitia pugnantem, tum ne vulneretur, objicere ſeipſum ſcuti loco, ut Clitum feciſſe, quum periclaretur Alexander, ferunt; tum quaſi ſcuto & protegere ſimul, D & coronare, cujus exemplum in Stephano ſpectante de cœlo coronatorem ſuum Chriſtum *c.*

r hoc loco cit. 26. 8
Tropolog.
ſ pſ. 57. 9
t Eph. 6. 16
u Luc. 1
x Cant. 8. 9
y ſerm 4. in pſ. Qui habitat.
z pſ. 90. 4
a verſ. 26. 5
Senſus accommodatius.
b pſ. 22. 5
c Actuum 7

Verſ. 9.) Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Senſus loci.

OBumbrationem protectionis divinæ, quam olim fuerat expertus, & ut adhuc experiatur, optat, oratq; in eo conſiſtere aſſerit, ne Deus ullam deſiderii ipſius partem tradat peccatori, ſive perſecutori Sauli, aut alteri, aliiſve, ut nihil eorum, quæ ipſe deſiderat deſiderio nimirum honeſto & pio, impediant, & nulla re deſiderata fruſtrent, & ne quid ex iis, quæ contra ipſum deſiderant, explere valeant. Rationem reddit, quia toti ſunt in hoc unum intendi, nec quidquã aliud cogitant, ne meditantur, moliuntur, (quod jam tertio repetit) quã quomodo ipſũ perdant. Quocirca enixe flagitat, ne deſerat

Deus,

Deus, eiſve ipſum permittat; quia ſi quod volunt, conſequantur, in ſuperbiam extollentur, & de ipſius interitu gloriabuntur, in Deum quoq; ipſum efferentur tamquam vel improvidum, vel impotentem, quemq; ſuperaverint. Sic porro *deſiderium* dupliciter accipitur, activè pro illo, quod ineſt hic loquenti, & bonum eſt, ne is eo fruſtretur: & paſſivè, pro illo, quod ineſt adverſariis ejus, ne ſinantur id explere, & malum, ac noxium eſt. Secundo modo interpretantur Chriſoſt. utens alia verſione, in qua non eſt pronomen primæ perſonæ, & Nicephorus, ut nempe oret Propheta, ne Deus concedat peccatori deſiderium ſuum contra ipſum, ſeu ne illa, quæ deſiderat adverſus eum, permittat implere. Hebræorum etiam videtur hæc expoſitio. Quadrant hæc, ſumendo *deſiderium* pro malo, quod habet quivis noſtrum, in ſpirituales hoſtes, quibus tradimur à deſiderio noſtro, quando illi, ſive malæ concupiſcentiæ obedimus. Auguſt. dat exemplum de martyribus, quos non tradiderit Deus à deſiderio ſuo; quia nempè tormentis extorqueri ab iis non potuit, ut pro præ vitæ deſiderio temporalis, negarent Chriſtum. Ait præterea, quod locum quivis diabolo facit deſiderio ſuo, ac proinde fræenandum deſiderium, ne cadamus in laqueũ. Idem innuit putatus Hieron. & alii fere Latini, & ex
a Rom. 1. 24. 26. 28 Græcis Euthymius. Confirmari poteſt Pauli *a* verbis, quibus ait, quod *tradidit Deus aliquos in deſideria cordis eorum, in reprobum ſenſu, in paſſiones ignominiæ*. Hila-
b Joan. 5. 30 rius interpretatur de Chriſto, qui ſe dixit *veniſſe volunta-*
c Luc. 22. 15 *tem ejus facere, à quo miſſus fuerat* b, *non ſuam: & deſi-*
d Joan. 18. 11 *derio deſideraviſſe paſcha manducare* c: *& calicem datum à*
e ibid. 6 *Patre bibere d;* præterea, qui quærentibus ſe ultro his, qui ad comprehendendum eum venerant, & inter-
f cap. 19. 29 rogantibus, qui Jeſus eſſet, ingeſſit *e*, qui ſciens ſibi aceti
g ibid. v. 30 poculum eſſe potandum, hoc ut bibere poſtulavit *f*, magnumq; in eo, quum bibiſſet, voluntatis ſuæ fructum capiens, ait *conſummatum eſt g*; quo in verbo deſiderabilis
h Pſ. 21. 21 voti gratulatio continetur. Docet etiam quod omnia, quæ
i Exod. 12. 46 deſiderii ſunt, & antea prædicta erant, ut adhuc delibe-
K Pſ. 22. 29 randa anima ſua à fremea *h*, de oſſe non confringendo *i*; de veſte per ſortem obtinenda k, ad prophetiæ fidem, ut impleantur hic orare, ne quid ex his peccatoris ſit pote-
l Joan. 13. 7 ſtatis, ne Paſcha præveniat, ne calicem paſſionis ingerere non audeat, ut idcirco ad primã Domini reſponſionem peccator omnis, qui ad comprehendendũ venerat, proci-
m cap. 19 derit *l*; ne acetum, quod putandum erat, non præſto eſſet; ne antequam ſpiritum amitteret, lancea miles latus foderet *m*; ne frangendi oſſis, manente adhuc ſpiritu, pateret occaſio: ne quid ex prophetia minus fieret: ſed prophetata de ſe intelligerent, quæ omnia implenda erant: ne aliquid peccatori ex deſideriis ſuis traderetur; ſed in ſe omnia, quæ & deſiderata ſibi prophetata ſunt, implerentur. Interea vero etiam, quæ cogitaverunt Judæi contra Chriſtũ
n Matt. 27 illud idem Hilarius potiſſimum proponit, ut pecunia militibus collata, fama ab his furati corporis venderetur *n*.

Ne tradas me, Domine, à deſiderio meo peccatori.) Hieronym. *ne des Domine, deſideria impii*, quo etiam pacto Græcè Symmachus μὴ δὸς κύριε τὰς ἐπιθυμίας τοῦ παρανόμου, *ne des Domine deſideria iniqui*. Similiter Aquila, & Theodotio: vel Aquila ἐπιποθήματα ἀσεβοῦς *cupiditates impii*. Hebræum מַאֲוַיֵּי *maavajie* eſt nomen integrum in regimine numeri pluralis, ſignificans *deſideria*: ſingulari, מַאֲוִיָּה *maavajieh*. Sed legerunt LXX nomen aliud cum præpoſitione מֵאַוִּי *menavaji*, & addiderunt pro nomen me μή παραδῷς με. Exponit Trevetus, *ne des, Domine, deſideria impii*, ſcilicet Abſalom, qui in patrẽ ſuũ impius eſt. Cajetanus intelligit de Saule: Paraphraſtes Chaldæus de Doeg, ut & ſequentia de Achitopel. Generalior juxta priorem ex Hebræo verſionem, ſenſus de quolibet impio;
o Pſ. 32. 10 ne illius deſideria Deus ſtabiliat, ſed *diſſipet conſilia, reprobetq; cogitationes o*. Apollinarius tradi à deſiderio peccatori explicat, tradi ei ita ut is, qui traditur, fruſtretur deſiderio, fruſtratuſque irrideatur ab illo.

> Μὴ κεχάρας τοῦ ἀνάμμι πόρους λιλαπνυῦθρον ἀθέσμοις,
> *Ne diſſipans deſideriũ nobis, tradas ludibriũ iniquis.*

Lyranus editionem vulgarem ſecutus, declarat orare Davidem, ne Deus tradat eum *à deſiderio ſuo* Sauli, hoc eſt, extra deſiderium ſuum, ideſt, plus ſignificando, quam dicat; quum ei tradi ipſe maximè horreat. Confirmat ex communi modo loquendi, quo quis quando contingit ſibi, quod horret, dicit, hoc non deſiderabam, vel non petebam. Aliter Genebrardus accipit *à deſiderio meo*, ideſt, poſt meum deſiderium, poſtquam te deſideravi, appetivi, amavi: vel, propter meum deſiderium, ſeu, quia te deſidero & expecto, ne me tradas peccatoris poteſtati; denique præter aut contra deſiderium meum, ut dicebat Lyranus. Bruno Carthuſianus, *ne tradas me peccatori*, (quem hæreticum ſumit myſticè) *à deſiderio meo*, quo deſidero in integritate fidei perſiſtere. Remigius videtur legiſſe, *non tradas Domine deſiderium meum peccatori*, nempè diabolo, vel hæreticis, ad eum modum, quem nunc retulimus ex Brunone. Bonaventura exponit, *per deſiderium meum*. Initio ſenſum meliorem poſuit; qui poteſt illuſtrari ea ratione auctoris libri Eccleſiaſtici *p*, *Domine pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in conſilio eorum, nec ſinas me cadere in illis.* p Cap. 23. 1

Cogitaverunt contra me.) Hieron. conjugens cum ſequentibus, *ſcelera ejus ne effundantur*, nimirum deſideria dicta impii, quæ ſunt ſcelera, ne des Deus, ſive concedas, ut impleantur & effundantur, prodeantq; in opus Chaldaicè, *cogitationis ejus ne ſatisfacias*. Alii, *cogitationem ejus ne conſummes*, vel *capiſtrum ejus ne abſtrahas, auferas, educas*: item, *cogitationem ejus, aut conatum ne perficias*, aut *ne fac effundere*. Hebræa, ut comprehendunt ſequens quoq; membrũ, nunc ſic ſe habent זְמָמוֹ אַל־תָּפֵק *zemaao al thapek*. Legerunt LXX זָמְמוּ *zamemu* verbum *cogitaverunt*, & quidem maligne nempè *contra me*, pronomine cum affixo, quod valet *cogitationem ejus*, videlicet malignam etiam, ſicut in Pſalmo præcedente *q* מְזִמָּה *mezimmah*. Ultimum תָּפֵק *taphek*, præpoſita negatione q verſ. 20
אַל *al*, in *hiphil* à פּוּק *puk*, *educere, depromere, cadere*, vel ſignificat, *ne effundas* vel *effundere facias*, vel *ne auferas & avertas*, ſeu *avertere facias*, nempè *ne auferas, & avertas me, ne avertere facias te à me*, quod eſt idem cum ſequenti, *ne derelinquas me*. *Capiſtrum* interpretatus eſt Felix, & eſſet ſane elegans ſenſus, *ne auferas capiſtrum ejus*, nimirum tamquam ſævę beſtiæ, ut mordere nequeat, juxta illud, *In camo r, & fræno maxillas eorum* r Pſ. 31. 9
conſtringe, qui non approximant ad te: præterea, *Pone ſ* ſ Pſ. 38
Domine cuſtodiam ori meo. Sed זָמַם *zamam* nihil horum ſignificat: verum vox Chaldea זְמָמָא *zamama*, ad quem Felix fortaſſe reſpexit. Ceterum retinendo, ut par eſt, tranſlationem noſtram, quæ habet, *cogitaverunt contra me*, ter, ut antea monui, David hoc repetit quamvis duobus prioribus locis fuerit verbum חָשְׁבוּ *chaſevu*, hìc autem, ut quidem legiſſe dixi LXX. זָמְמוּ *zamemu*. Recte autem obſervat Chryſoſt. hoc eſſe ſcelerati & corrupti animi, conſilio, & otio, & meditatione, & tempore, & conſideratione, & ſtudio, & diligentia, & conſultatione, & ſociorum advocatione, uti ad vitium.

Ne derelinquas me.) Jam dixi אַל־תָּפֵק *al thapek* hoc ſignificare poſſe: aut, *ne effundas, ne educas, &c.* nempe, vel *me*, ideſt, *ne derelinquas*, vel *cogitationem ejus ſceleratam*, prout aliis transferunt. Derelinqui quempiam à Deo diſtinguit Ayguanus tripliciter, vel temporaliter, quum non oſtendit potentiam ſuam, ut quum Chriſtus ſe derelictum dixit *t*; vel ſpiritualiter non viſitando per gratiam, quo pacto minatur *derelicturum ſe qui relinquunt ipſum u*: vel æternaliter projiciendo in æternum *x*. Non derelinquit Deus, aut deſtituit quempiam in hac vita, gratia neceſſaria, de qua re alias.

Derelinqui Deo tripliciter poteſt quiſpiam.
t Matt. 27
u 2 Paral. 15
x cap. 33

Ne forte exaltentur.) Hieronymus addens conjunctionem, *& eleventur*, nimirum *ſcelera ejus, ne effundantur, & ne eleventur*, aut ſcelera ipſa: *ſuperbia enim odientium Deum aſcendit ſemper y*, aut impii, atque ſociorum ejus. Hebraicè eſt ſolum יָרוּמוּ *jarimu*, *exaltabunt ſe*, ideſt, *ne derelinquas me exaltabunt ſe; alioquin exaltabunt ſe*: & repetendo אַל *al*, *ne, ne exaltent ſe*. Idem ſibi vult, *ne forte exaltentur*, μή ποτε ὑψωθῶσιν. Nec enim *forte*, hic dubitationem importat, & Romanum Pſalterium legit, atque Hilarius & Beda z, *ne umquam* Ambroſianum, *ne quando*, quæ μήποτε valet. Altius apud Chryſoſtomum vertit μὴ ἀποβάῃ, μή ποτε ὑψωθῶσι, *ne eveniat, ne forte*, aut *ne umquam, ne quando exaltentur*. Chaldaicè in textu Nebienſis locus hic totus ita exprimitur, *Non des Deus deſideria Doeg impii, cogitationes eius ne perficias, auferantur in æternum Achitophel caput ſenatus, & diſcipulorum doli*. In textu Bibliorum Regiorum, quæ adhoc membrum ſpectant ſic ſe habent, *Auferantur, ne ſe extollant in æternum*. Denique Apollinarius ultima, & proximè præcedentia hoc modo explanat.

y Pſ. 73. ult.
z In collect. in pſal.

Μὴ-

> Μή με μάκαρ προλίποις σφετέρης ἅρπαγμα μενοινῆς,
> Μή ποτε νικήσαντες ἀγηνορίῃσι μανεῖεν.
> *Ne me beate, deſeras ſui (vel eorum) prædam deſiderii:*
> *Ne forte vincentes* (aut *quum vicerint*) *inſolentiis inſaniant.*

Sæpius hanc rationem David propoſuit ad impetrandum auxilium divinũ; quam hoc etiam loco perpendit Chry-
a Pſal. 12. 3 ſoſtom. ne inſoleſcant, & arrogantiores fiant adverſarii,
b Verſ. 5. ne exultent, ac veluti gaudio triumphent. *Uſquequo*, ait,
c pſ. 24. 3 *exaltabitur inimicus meus ſuper me* a? *Qui tribulant me*,
d pſ. 29. 2 *exaltabunt, ſi motus fuero* b. *Neque irrideant me inimici*
e pſ. 30. 12 *mei* c. *Exaltabo te, Domine, quoniam ſuſcepiſti me, delecta-*
f pſ. 34. 19 *ſti inimicos meos ſuper me* d. *Super omnes inimicos meos*
g verſ. 26 h pſ. 68. 19 *factus ſum opprobrium* e. *Non ſupergaudeant mihi, qui*
i in Collect. diapſal. *adverſantur mihi inique* f, *& gratulantur malis meis* g. *Propter inimicos meos eripe me h*. In fine eſt סֶלָה *ſelah*, & διάψαλμα tertium, non ut Caſſiodorus vocat ſecundum. Beda *i* enumerat cum aliis duobus.

Verſ. 10.) Caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos.

Senſus loci.

DEinceps prędicuntur pœnæ impiorum, qui ſunt perſecuti juſtos. Ait vero Propheta in iſto verſu fore, ut id, quod in illis caput, ſummum, præcipuum eſt, maximique fit ab ipſis, & in circuitu, cętuque illorum, aut in obliquis, aut diſtortis conſiliis ſuis, nempe labor, afflictio, vexatio juſtorum, quam labiis decernunt, ac etiam exequuntur ex parte, variis modis maledicendo, illos ipſos operiat, involvat, implicet, obruat; ita ut non valeant inde ſe expedire & liberare, tum non raro in hac ipſa vita, tum, niſi reſipiſcant; ſine dubio in ipſa morte, atque in die judicii. Pluribus verbis eadem ſententia in Pſamo 7.
* verſ. 15. 16. 17 * habetur, *Ecce, parturiit in juſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem: lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit: convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet*. Hunc ſenſum, qui maxime litteralis eſt, tradit Chryſ. Alii *caput* pro principe ſumentes, explicant de præcipuo auctore perſecutionis contra Davidem, cum cœtu, & quaſi corona ſatellitum & militum, in quos omnes reciderint perſecutiones, & agitata verbis ac labiis conſilia. Cajetanus quidem laborem labiorum ait fuiſſe crimen conſultatæ Pythoniſſæ à Saule, poſtquam hìc labia ſua ſua fatigaſſet, Deum fruſtra conſulendo: aut etiam, quia
K 1. Reg. 28. 6. & ſeq. multis verbis laborandum ei fuit, ut perſuaderet Pythoniſſe K: aut denique crimen crudelis ſacrilegii in cæde tot Sacerdotum, quum ille velut laborans, deſtitutum ſe
l 1. Reg. 22. 7 & ſeq. conſequeſtus eſt coram ſuis *l*: quod autem additur, *operiet*
m 1 Paral. 10. 13. 14. *eum*, explicat, quod ob iſta crimina à Philiſthæis occiſus eſt *m*. Placet generalior ſenſus; nec ſatis leniter cadit is; quem tradit Cajetanus. Hilarius inſiſtens in ſenſu de Chriſto, explicat prædici hanc pęnam in eos, qui crebros circuitus in eum inſtituerant, ſeu conventus, & conſilia, ut ipſos operiat caput eorum diabolus, qui *immiſit in cor*
n Joan. 13. 2 *Judæ, ut traderet n*, & alios inſtigavit laborantes multa
o Mat. 7. 22. 23. Marc. 15. 13. Luc. 23. 21. Joan. 19. 6 voce, quum clamarent *o*, *Crucefige, crucifige*: præterea, ut operiat labor hìc illos, ideſt, ut quum alii immortalitatis gloria induentur, illi impietatis ſuæ pudore & damnatione diaboli, qui caput ipſorum eſt, operiantur. Auguſtinus caput circuitus improborum ait eſſe ſuperbiam,
p Eccl. 10. 15
q pſ. 11. ult. quæ *Initium omnis peccati eſt p*, per quam circumeunt, & in gyrum erunt erroris, ſeu *circuitu ambulant q*; laborem labiorum, quod iidem ſuperbi ficte ac mendaciter loquantur, atque in hoc ipſo laborent, cum veritatem loqui facile ſit: hoc labore operiri, & quaſi protegi, ſed fruſtra, quum juſtos Deus *obumbret in die belli*, ſicut antea dictum eſt; illi vero de ſuamet aſſertione ſuperantur, quia numquam ſic eſt cauta malitia, inquit Caſſiodorus, ut ipſa ſibi non loquatur adverſa. Sed Caſſiodorus, & alii *caput circuitus* diabolum, ſicut retuli de Hilario, interpretantur, *qui circuit quærens, quem devoret r*: utitur autem opera aliorum, qui laborent, ſtudeantque, quo pacto nos labiis & verbis fallant, nobiſve noceant, redundante demum in eoſdem damno, quod ſtruxerunt. Bruno exponit *caput circuitu* hæreſin, cum argumentationum, ſententiarumque multiplici anfractu, quibus occultatur, à ſimilitudine ſerpentis, qui circuitu caudæ caput operit: id autem nihil aliud eſſe, niſi laborem labiorum, quia in illis excogitandis ac pronuntiandis, ut ſeſe muniant, plurimum laborant hæretici. Id priores dixerunt, qui nominantur Hieronymus, & Arnobius. Ille autem ait, quod hæretici per ſermonem Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum, videntur ſe abſcondere, & quaſi protegere & defendere: ſed Eccleſiaſticus vir quaſi in virga, hoc eſt, in Cruce, ſolvit vinculum, & invenit caput latens, & ibi percutit eos, hoc eſt, teſtimonium profert de Scripturis. Rickelius vult prædici dejectionem Judæorum: caput eſſe Principem Sacerdotum: qui cum aliis inferioribus circuibant, & circumdabant Chriſtum, laborem labiorum, verba, quibus Chriſtum accuſabantur blaſphemum, ſeditioſum, regni uſurpatorem, reum mortis, &c. quæ omnia laborioſa erant, moleſtaque Chriſto: hoc labore labiorum operiendos eſſe, ut debita pœna torqueantur, ac priventur fama, regno, vita.

Caput circuitu eorum.) Hieronym. *amaritudo convivarum meorum*. Faber citat, *conviviorum*. Pradus *ſ* noſter,
r 1. Pet. 5. 8.
ſ in Ezech. cap. 1. 12 *fel* Hebraicè eſt רֹאשׁ מְסִבַּי *ros meſibbai*: & prima vox non modo ſignificat *caput*, ſed etiã *venenum*: altera מֵסַב *meſan*, *accubitum*, ſive *convivium*, ut in Canticis *t*, *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*, ideſt, in convivio, quia diſcumbentes ſedebant in circuitu, ut qui nunc edunt in menſa rotunda: quod notavit etiam Pradus noſter de hoc ipſo loco. Sic in alio Pſalmo *u* dicuntur *filii in circuitu menſæ*
t cap. 1. 12
u pſ. 127. 3 *patri; familias*. Richardus Cenom. arbitratur à סָבָא *ſava*, *inebriari, & potare*, derivari *convivarum* ſignificationem, quaſi à compotando, ſicut videlicet, συμπόσιον Græcis eſt *convivium*, velut *conbibium*. Sed vocabulum quod hìc eſt, nullus inde derivat. Ut plurimum dicere poſſemus legendum cum præpoſitione, מִסֹּבְאַי *miſſovai*, latente א *aleph*, ſub *camets*, *ex potatoribus meis*. Sed male ſonat id nomen, ſcilicet *ebrios: &c.* & conſtructio etiam cum præpoſitione, hoc loco difficilis. Exponit vero Trevetus hoc, & ſequentia, in quibus non differt Hieron. tranſlatio à noſtra, adhunc modum. Amaritudo, quam habent convivæ mei pro perſecutoribus meis, ſive propter eos, qui me perſequuntur: & labor labiorum eorum, nempe convivarum eorumdem, quo conferunt inter ſe, ſermocinando quid ſit agendum, vel quo orant Dominum pro me, movendo laborioſe labia ſua, oportet eos, nimirum perſecutores meos, quemadmodum rete operit aves. Videtur Hieron. imitatus ex parte Symmachum, ὁ πικρασμὸς τῶν κυκλούντων με *acerbitas circumdantium me*. Aquila in accuſativo *caput* accepit, κεφαλὴν καταστρεφόντων με *caput evertentium me*. Quaſi uterque legerit participium in *hiphil*, מֵסֵב *meſeu* vel מֵסַב *meſau* & pluraliter מְסִבַּי *meſibbi*. Ita etiam videtur Apollinarius, ſi eum bene intelligo, accepiſſe.

> Κυκλώσῃ σφετέρης κεφαλῆς κακοῦ ἀσπίδος ἄντυξ,
> Χειλέων ὀλοῶν κάματος σφέας ἀμφικαλύψει.
> *In circuitu ſub ſuo capite malignus orbis,*
> *Et labiorum pernicioſorum labor ipſos circumaget.*

Ideſt, orbis clypei, ſive armorum & armatorum cum capite ac duce ſuo circumtegat nos, ut quod ipſi faciunt mihi, eveniat ipſis. Item, labor pernicioſorum labiorum, quo nocent mihi, eiſdem noceat, deniq; paria patiantur. Alii, *caput circumdantium me perverſitas labii ſui operiet ipſum*, ideſt, mendacium labiorum principis eorum, qui me perſequuntur, videlicet Saulis, obruat ipſummet Saulem, aut alium, ſuiſque hic pereat conſiliis malignis, & mendaciis, totus involvatur & obruatur. Idem innuit Paraphraſtes nominans Achitophel, *Achitophel caput ordinatorum diſcipulorum, qui circumeunt, ut doceant pravitatem, inſimulatio labiorum eorum cooperat eos*. Vel in textu Nebienſis, *Achitophel caput ſenatus, & diſcipulorum doli, &c.* Grecè caput, κεφαλή, eſt nominativi caſus, & ἡ κεφαλὴ τοῦ κυκλώματος αὐτῶν, ita ut legerint LXX. cum tertiæ perſonæ affixo, & in numero ſingulari, מְסִבּוֹ *meſibbo*, & interpretati fuerint collective ac pluraliter, vel in plurali, מְסִבָּיו *meſibbau*, ſignificat id, quod præcipuum ac capitale eſt, atque quod in ſumma, & maxime quæritur *in circuitu*, hoc eſt, in cœtu, ſive corona perſequentium, eſſe id, quod per appoſitionem additur, ſcilicet *laborem labiorum*, hoc eſt, calumnias magno labore ſtructas & compoſitas; & quod futurum eſt, ut hoc tantùm malum ſuoſmet auctores operiat, & obruat. Vel *caput circuitus* eſt ſummã obſidionis: *labor labiorum* calumniæ: quibus duabus rebus, nempe tum facto, tum verbo, nocere ſtudent hoſtes.